

bus aut Lunam contuentur (pariter quovis mense in orbem redeuntibus) aut semetipsos vagis magis periodicis respiciunt; aut è Solis cum Orione, Plejadibus, Hyadibus, Caniculâ, aliisque fixis astris congressu; aut denique à punctis Æquinoctiorum, Solstitiorum &c. merè-imaginariis, petere laborant, quas in terris ipsis tamen & sublunari hoc mundo latitare certissimum est: Ut simile quiddam pati videantur ei homini, qui perspicilla nasi dorso insidentia per omnes ædium suarum angulos quærirabat. Ita verò rem habere vel sola **Calendaria**, totis plaustris ad nundinas Francofurtenses ac Lipsienses quotannis convehi, indeque per universam Germaniam divendi dispergique solita loquuntur; quæ si tempestatum quoquo mense vel die futurarum prædictionibus, ab illo fonte vario manantibus, destituerentur, emptorem nusquam repertura experti testamur.

VI. Enimverò, quàm fallat hæc opinio doctos pariter ac indoctos, imò quàm fallant illi seipsos &, quod plus est, falli se avidissimè cupiant, non falli verò ægrè ferant, ii sciunt & mirantur, quibus exuendi talia cum lacte quasi imbibita præjudicia felicitas & otium occasioque multiplex, ex ipsa muneris professionisque ratione, contigit in hæc talia curiosius penitusque inquirendi: nec ideò tamen se solos sapere stolidè persuasi, sed, ut ab aliis in suo genere doctioribus ea, quæ ipsi ignorant, doceri animo prompto gratoque gestiunt; ita citra omnem præsumptuosæ sapientiæ notam alios, his talibus suoapte Marte incumbere, ob alia sibi demandata munia, prohibitos (quis enim omnibus in tanta rerum sciendarum multitudine unus sufficiat?) de erroribus à pueris incautiùs haustis modestè monere, & ab adhærente plebejæ cujusdam opinionis macula Viros etiam cateroqui sapientissimos, aut (si quos horum vel pigeat vel pudeat) incautiorem, at exuendis iterum opinionibus præconceptis aptiorem, juventutem, liberare bonâ fide gestiunt.

VII. Neminem igitur probæ mentis in malam partem interpretaturum confidimus, si contra communem & inveteratam gentium opinionem, de aëris mutationibus ac tempestatibus, earundemque causis naturalibus edisserere quædam hîc conemur, quibus hæc talia scrutandi necessitatem publici muneris conditio imposuit, occasionem verò multiplicem non hæc tantum per annos hosce viginti quinque, sed antea quoque congenita

genita